

38

DE  
**NATALI SOLO**  
**LEGIS SALICAE** *1736,*  
**DISQVISITIO** *30<sup>z</sup>*

---

P R A E S I D E  
**IO. FRIDER. VVEIDLERO**  
IVR. D. MATHEM. SVPER. P.P. ICTOR. ORDINIS ASSESS.  
EXTR. REGIIS SOCIETATIBVS SCIENTIARVM BRI-  
TANNICAE ET BORVSSICAE ADSCRIPTO  
DIE XXII SEPTEMB. AN. cIz Iz CC XXXVI  
**IN AVDITORIO ICTORVM**  
PVBLICE PROPOSITA  
A  
**IO. CHRISTOPHORO WERTHERO**  
THÜRVNGA THVRINGO

---

*6523*  
VITEMBERGÆ  
LITERIS HAKIANIS.





*Q. D. B. V.*

DE

NATALI SOLO LEGIS  
SALICAE  
DISQVISITIO.

*P R A E F A T I O .*



Loret hodie in germania studium  
legum patriarchum, quod, intro-  
ducto ante aliquot secula roma-  
no iure, aliquamdiu intermis-  
sum neglectumque fuerat. Ta-  
met si enim in veterum, quae su-  
persunt, constitutionum germa-  
nicarum reliquiis, passim aspera  
nonnulla, et cultioribus mansuetioribus nostro-  
rum temporum moribus minus accommodata \*  
occurant, ut obsoletarum legislationum peruestiga-  
tio exigam uel nullam nobis utilitatem afferre posse  
uideatur, prodest tamen inspectio earundem, tum ad  
illustrandam germaniae historiam, tum ad rationem  
atque originem consuetudinum quarundam singula-  
rium, quae hodienum seruantur, inueniendam. Mis-  
sis

## DE NATALI SOLO

4

sis ceteris, in praesenti, de antiquissimae, quae in scriptum redacta fuit, Salicae nimirum, originibus et natai solo nonnihil commentari, et dubia quaedam huius argumenti capita excutere atque explicare libet.

I.

\* Talia sunt in L. Salica T. 22. 28. 38. 44. 45. 46. ubi crimina beneficii, abortus, et homicidii tantum multis vindicantur. add. Legum Wifgothorum Lib. VI. Tit. V. 1. 2. Burgundionum t. IX. capitular. Regum Francorum Lib. IV. c. 20. 21. Legibus Longobardorum Lib. II. T. 9. l. 2. permittitur parentibus ingenuis potestas occidendi filiam, quae in coniugium cum seruo consensit. eodem pertinent decantatissima iura ordalii, cum indagatio et probatio ueritatis , item innocentiae demonstratio , per duellum, ignem et aquam feruentem et frigidam fiebat. de quibus Karolus M. in capitularibus ann. 9. sanguinxit, ut omnes iudicio Dei credant absque dubitatione. conf. IAC. SIRMONDI notae ad capitul. R. F. p. 792. edit. Baluzii. hue quoque refero inuilia credulitatis iumenta compurgatorum vel consacramentalium, quippe qui iurato afflere non uerebantur, credere se et persuasos esse, quod accusatus de delicto , sacramenti religione se purgare iussus, innocens, nec peieraturus sit. cuius ritus in iure germanico paucim mentio fit. u. L. Sal. t. 51. Ripuar. t. 54. Frisonum t. 2. Saxonum T. 1. ius prou. Saxon. L. 1. a. 63. I. F. 4. §. 2. II. F. 33. pr. Canones quoque, eti purgationem vulgarem tanquam incertam damnent, can. 7. cauf. 2. qu. 5. t. t. X. de purgat. vulgar. alteram tamen, que coniuratorum suffragio nititur, retinendam censuerunt, et canonica apellarunt. t. t. X. de purgat. canon. Verum hodie illa quoque e nostro foro merito exultat. u. ZIEGLER ad Lancell. T. d. duplice purgat. §. 2. Taceo alia huius generis, conf. BASILII IOANNIS HEROLDI originum ac germanicarum antiquitatum libri, quibus leges Salicae,

Salicae, Alemannorum, Saxonum, Angliorum, Thurin-  
gorum, Burgundionum, Francorum, Ripuarie, Boioa-  
riorum, Werinorum, Frisonum, Longobardorum, et  
Teutonum continentur Basileae. 1557. f. et FRIDER.  
LINDENBROGII Codex legum antiquarum Francof.  
1613. f.

## I.

**L**ata est lex Salica a rectoribus uel proceribus  
Francorum, qui in hoc pactum, quemadmo-  
dum in prologo appellatur, communibus sus-  
fragiis consenserunt. Nobis igitur, natale eius so-  
lum inuestigaturis, opera danda est, ut, ubi, eo tem-  
pore, quo Salicae constitutiones compositae sunt,  
Franci commorati fuerint, reperiamus. Nomen  
Franci a libertate adepti sunt, \* et hodienum, in  
plerisque europae linguis, francum pro libero nul-  
lique seruituti obnoxio accipi, inter omnes constat.  
Antequam enim foederati quidam magnae germaniae  
pagi, cum romaniis pro libertate decernere, domi-  
tasque ab his trans rhenum prouincias recuperare,  
et crescentem illorum potentiam frangere et commi-  
nuere niterentur, francorum nomen auditum non  
est. \*\* Primum quidem illud memoratum legitur  
seculo christiano tertio. TREBELLIVS enim POL-  
LIO in Gallienis c. VII. narrat, quod contra Postu-  
mum Gallienus, cum Aureolo et Claudio duce,  
qui postea imperium obtinuit, principe generis Con-  
stantini Caesaris, bellum incepert, et cum multis au-  
xiliis Postumius iuaretur, Celticis et Francicis, in  
bellum cum Victorino processerit, cum quo impe-  
rium participauerat. FLAVIVS uero VOPISCVS in  
uita Aureliani cap. VII. testis est, Aurelianum, apud

A 3

Mo-

Moguntiacum, cum adhuc esset tribunus legionis sextae gallicanae, Francos irruentes, cum uagarentur per totum galliam, sic affixisse, ut trecentos ex his captos, septingentis interemitis, sub corona uendiderit. add. cap. XXXIII. et uita Proculi cap. XII. Sed Gallieni et Aurelianu Seculo III floruerunt, ipsique scriptores historiae Augustae sex, inter quos iam laudati numerantur, circa finem tertii, uel saltem circa initium quarti seculi uixerunt. \*\*\* Antiquiores uero, qui res germanicas attigerunt, et prisca nationum germanicarum nomina nobis conferuant, *Caesar, Strabo, Plinius, Tacitus, Ptolemaeus*, nullam francorum iniiciunt mentionem. IOANNES QVIDEM AVENTINVS annal. Boior. Lib. IV. Cap. I. n. 6. existimat, CICERONEM quoque, ubi de rebus a Julio Casare in germania gestis agit, francum minuisse. leguntur enim in epistola X. ad Atticum Lib. XIV haec uerba: *tua tamen omniuersa naufa iamne plane abiit, mibi quidem ex tuis literis coniectanti ita uidebatur redeo ad Tebassos, Scaevas, Frangones, hos tu existimas confidere se illa habituros, sanctibus nobis.* Sed, quinam fuerint Tebassi, Scaeuae, Frangones, difficile explicatu est. BEATVS RHENANVS rerum germanicar. Lib. II. p. 103. in istum locum Ciceronis sic commentatur. Plerique eruditorum hoc loco freti tradunt frances a Cicerone nominatos. equidem mihi perpensis Tullii uerbis, quum uiderem eum de germanis agere, qui in galliam ante Caesaris aduentum transiissent, fuspicio nasci coepit, totum locum esse depravatum, quis enim Theobassorum nomen unquam aut audiuist aut legit, et quid Suevi in gallia faciant, adeo procul a rheno disti. itaque uolumen manuscriptum requiro, quod ex

ex bibliotheca Laurisheimensi Ioannes Schardius noster nuperrime attulerat. in eo mera portenta uerborum scripta reperi, in hunc modum. redeo ad tebas-  
fos, scaevas, frangones, coepi deinde literarum du-  
ctus scrupulosus rimari, deprehendique, germanam  
Ciceronis lectionem hanc esse, *redeo ad betasios, atuas et Vangiones.* Sed IVNIVS ex MS. Palatino<sup>r</sup> haec ex  
cerpsit. *redeo ad bassos, siveuos, francones.* Victorius  
quoque *frangones* ex antiquis exemplaribus eruit,  
quam lectionem probat IANVS GRVTERVS. \*\*\*\*  
Ex quibus elucet, in tanto codicum varie corrupto-  
rum dissensu, certi quidpiam de hoc Ciceronis loco  
statui non posse. sufficiat nobis, quod Vopisci testi-  
monio doceamus, seculo tertio Christiano Francos  
iam per totam galliam fuisse uagatos. \*\*\*\*\*

\* Nam qui francos a germanico vocabulo *vraek* uel *frech*  
dictos putant, opinionem minime probabilem tuentur.  
v. ECCARD ad Leibnitii disquisit. de origine francorum  
p. 254. sed nec Auentino, sine fide monumentorum ue-  
terum, assentiendum duco, quando a Franco rege ger-  
maniae Francos nominatos fuisse statuit. Ann. Boi. L.  
IV. c. I. n. 7. ADO Viennensis (floruit circa a. Chr.  
1350.) in gallia archiepiscopus in breviario chronicorum  
ad A. Chr. 364. de Francorum appellatione talia refert:  
Valentiniani et Valentis tempore, rebellantes Alamano-  
nos, Franci inter Danubium et Mocoides paludes iun-  
cti romanis superauerunt. *Francos lingua ottica Valen-*  
*tinianus imp. a feritate et duritia atque audacia appellare*  
*primus uoluit.* qui post paulo, cum tributa romanis ne-  
garent, et romanorum imperium ferre non possent,  
egressi ex Sicambria, peruenierunt in extremas partes  
rheni fluminis, in germanorum oppida, ibique aliquot  
annis

annis cum principibus suis Marcomiro et Sunione reli-  
derunt. v. Biblioth. patrum Margarini *de la Bigne* Tom.  
VII. col. 1075. dad. GOBELINI PERSONAE cosmo-  
dromii act. VI. cap. VI.

\*\* Pertinet hue ingeniosa FRANCISCI HOTOMANNI  
conjectura; is locum TACITI Histor. L. IV. c. 17. ubi  
victoriae a Caninefatis reportatae meminit, appellatio-  
ni Francorum occasionem praebuisse arbitratur. clara  
ea uictoria, Tacitus ait, in praefens, in posterum usui,  
armaque et naues, quibus indigebant Caninefates, ad-  
epti, magna per germanias galliasque fama libertatis  
auctores celebrabantur. v. Francogalliae cap. V. p. 38.

\*\*\* Ita GERH. IO. VOSSIVS de historicis latinis L. II. c.  
V. sq. add. FABRICII Bibl. lat. Lib. III. c. VI.

\*\*\*\* Vid. GRVTERI notae in Tomum III. oper. Ciceronis.  
P. 405.

\*\*\*\*\* Idem testatur EVTROPIVS seculi quarti scriptor, ro-  
man, histor. breuiar. Lib. IX. c. XIV. Per haec tem-  
pora, ait, (aetate nempe Diocletiani) Carausius, qui  
uillissime natus, in strenuae militiae ordine famam egre-  
giam fuerat consecutus, cum apud Bononiam, per tra-  
ctum Belgicae et Armoricae pacandum mare accepisset,  
quod Franci et Saxones infestabant, multis barbaris saepe  
capti etc. similia narrat PAVLVS OROSIVS Histor.  
L. VII. c. XVI. porro Lib. X. c. II. memorat Eupropius,  
Galerium, ineunte seculo quarto, cecidisse Francos et  
Alamannos, cepisse eorum reges, quos bestiis, cum ma-  
gnificum spectaculum parasset, obiecit.

## II.

**F**ranci praeterea a uetus scriptoribus *Salii* uocan-  
tur. sed hoc nomen recentius esse uidetur. nam  
Salii serius laudantur seculo IV ab AMMIANO MAR-  
CELLINO, cuius haec uerba sunt: \* at Caesar Con-  
stantius

stantius, hiemem apud Parisios agens, (circa ann. Chr. 358, iudice Henrico Valefio) Alamannos praeuenire studio maturabat ingenti, nondum in unum coactos, sed in insaniam post Argentoratum audaces omnes et saeuos. —— Quibus paratis petit primos omnium *Francos*, eos uidelicet, quos consuetudo *Salios* appellauit, ausos olim in romano solo apud Toxian-driam locum habitacula sibi figere praelicenter. Cui, cum Tungros uenisset, occurrit legatio praedictorum pacem sub hac lege praetendens, ut quietentes eos tanquam in suis nec laceſſeret quisquam nec uexaret. —— hos legatos, negotio plene digesto, mu-neratos absoluſit, dictoque citius fecutus praefectos subito cunctos aggressus, tanquam fulminis turbo perculſit. Chamauos, itidem ausos similia, ador-tus eadem celeritate cecidit. „ Notatu utique digna est haec Ammiani narratio. ex qua quippe conſtat, quod nonnullos francorum tum consuetudo salios ap-pellauerit; item, quod Constantius, ad eosdem subiu-gandos uel coercendos, Parisiis proficiſcens, per Tun-grorum prouinciam, ubi hodie Leodiensis episcopi territorium est, ad salios in Toxiandria commoran tes perrexerit. Sed quod Toxiandria illa non patria Francorum, uerum prouincia romana a Francis nu-  
per occupata fuerit. Toxiandria autem regio Dende-rae fluo Flandriae uicina, cuius ostio, ubi in scaldim influit, Dendermonda imminet: et pridem PLINIVS \*\* Toxiandros uel Texandros ad scaldim habitare dixit. Ceterum ex hoc Ammiani testimonio ratio quoque redi potest, cur tabulae Peutingerianae au-  
ctor ad ostia rheni franciam collocauerit, siquidem illius aetate coloniae Francorum istam oram tene-bant. \*\*\* B \* Hi-

\* Historiarum libro XVII. cap. VIII.

\*\* Histor. natural L. IV. c. XVII.

\*\*\* Vid. RHENANVS p. 35. quod de salis, Francorum colonia, loco allegato Marcellinus testatur, similiter fere ZOSIMVS histriac nouae L. III. cap. VI. narrat, et σαλατὴν ἔργον θεάγκαν ἀπόλουσσαν vocat. De Francis in Batauiam progressis testis est encomiastes anonymous eius ad Constantium verba haec sunt: terram, ait, Batavorum, sub ipso quondam alumno suo, a diversi Francorum regibus occupatam, omni hoste purgauit, non contentus uicisse ipsos, in romanas transiuit nationes, ut non solum arma sed etiam feritatem ponere cogerentur. conf. GVILLIMANNVS de reb. Heluetior. Lib. II. c. IX. num. 3.

### III.

**I**dem Ammianus aliam Francorum gentem, Attuariam nempe, laudat, et a colonia salia distinguit. Describens enim Constantii et Juliani historiam, memoriae prodidit, quod Julianus (circa ann. Chr. 360.) Tricensimae oppido propinquauerit, et rheno exinde transmisso, regionem subito peruerterit Francorum quos Attuarios vocant, inquietorum hominum, licentius etiam tum percursorium extima galliarum, quibus superatis pacem ex arbitrio dedit. \* Ubi autem tum considerint Attuarii, Tricensimae oppidi situs declarat. siquidem HENRICVS VALESIVS \*\* docuit, Coloniam Traianam, Castra Ulpia et Tricensimam tria unius eiusdemque loci nomina esse. adeoque seculo quarto Attuarii in Bergensi et Coloniensi agro commorabantur. Videntur Attuarii nomen accepisse a Wettera fluvio, (cui hodie Wettera-

uia adiacet) quoisque nempe ueteres Francorum sedes porrigebantur. Nec dubito Attuarios eosdem esse cum Chattuariis, quos STRABO \*\*\* cum Cheruscis, Chatis et Gambriuis inter minores germaniae gentes refert, quorum omnium hoc commune esse perhibet, quod facile solum mutent, ob tenuitatem uictus, et quod neque colunt agros neque fructus recondunt. Hoc non solum similitudo nominum, sed etiam sicambrorum, qui haud procul a Chattuariis habitabant, mentio comprobatur. scribit Strabo, Augustum, missis ultra Albim germanis, saltem cum iis, qui rheno propiores erant, arma contulisse. Huius belli initium capiebant sugambri rhe no uicini. Ηξαντο δὲ τοῦ πολίου σάγαμβροι πλησίον δικούντες τοῦ Ρήνου μέλανα ἔχοντες ἥγεμόνα. Deinceps sugambros inter rheni osfa et Albim idem collocat. Τῶν δὲ γερμανῶν, ὅς εἴπων, οἱ μὲν πεστάσιτοι παροίκοντο τῷ αἰγαλῷ γνωσίσανται δὲ, απὸ τῶν ἐκθολῶν τοῦ Ρήνου λαβίσιες τὴν αρχὴν, μέχει τοῦ Αλβίος. τούτων δὲ εἰσὶ γνωμώτατοι, σούγαμβροι τε καὶ πιθζοι. itaque nihil uerat, quo minus ad Sigam fluvium, qui e regione Bonnae cum rheno iungitur, sigambrorum uel sugambrorum sedes, Chattuariis conterminas, collocemus. Inprimis cum haec opinio sequiorum temporum consensu firmetur. saepe enim scriptores posteriores francos, quorum colonia erant Attuarii, cum sicambris miscent. SIDONIVS APPOLLINARIS, Aruernorum episcopus, seculo quinto ita cecinit; carmine XXIII.

v. 245.

*Francorum et penitissimas paludes  
Intrares uenerantibus sicambris.*

B 2

et

et CLAVDIANVS in panegyrico de consulatu Honori v. 446.

*Ante ducem nostrum flauam sparsere sicambri*

*Caesariem, pauidoque orantes murmure Franci*

*Procubuere solo.*

Remigius uero episcopus, cum Clodouaeum sacri baptismatis lauacro tingeret, ita eundem allocutus fertur;

*Mitis depone colla sicamber. \*\*\*\**

\* Lib. XX. c. X.

\*\* In notitia galliarum p. 150.

\*\*\* Geograph. lib. VII. p. 201. edit. Casauboni Fr. *Lindenerius* ad locum Ammiani L. XX. c. X. notat, prisca exemplaria circa nomen Attuariorum plurimum varia re. leguntur Aduarii, Antuarii, Atuarii, Ansuarii, An suarii.

\*\*\*\* Vid. epit. francor. cap. 15. et Gregorius Turonensis. L. II. c. 31. Recentiores quidam sicambros eosdem cum Francis esse contendunt. FRANCISCUS GVILLIMANNVS de rebus Heluetiorum L. II. c. IX. n. I. HOTOMANNVS Francogalliae c. V. p. 38. sed LEIBNITIVS de origine Francorum §. 30. utrosque se iungendos esse censet, tum enim confusa fuit utraque gens, cum Franci migratione facta sigambrorum prouinciam inuaserunt.

#### IV.

Dprehendimus igitur seculo III et IV Francos, tam Salios, quam Attuarios, cis rhenum, late iuxta illius ripam diffusos, unde, societate belli cum Saxonibus inita, \* romanos gallosque bello et prae dationi-

dationibus infestabant. Sed hae erant sedes coloniarum francicarum, quae patriam reliquerant. Hanc igitur iam oportet inuestigare. Non obscure eandem designat HIERONYMVS Stridonensis, Seculi IV scriptor clarissimus, cuius testimonium prae ceteris fide dignum est, siquidem ille Treuiris aliquamdiu uixit, (ubi quippe prolixum ualde librum, de synodis sancti Hilarii manu sua ipse descripsit. vid. epistola VI ad Florentium T. I. p. 34.) et de populis germaniae certiore sibi potuit notitiam comparare. In uita Hilarionis, \*\* inter Saxones, ait, et Alemannos, gens non tam lata quam ualida, quae apud historicos germaniarum uero francia dicebatur, habitat. Alemannos quidem, ueterum sueorum portio, illum terrarum tractum, qui inter danubium, moenum, rhenumque continetur, olim tenuisse, Claudiani et tabulae itinerariae Peutingeri auctoritate probat PAVLVS HACHENBERGIVS, \*\*\* ex quo appetet, Alemannos meridionalem Franconiae oram attigisse. Sed, quo usque in septentriōnem porrecta fuerit franconia, quaeritur. Scilicet Saxones, aerae Hieronymi, e finibus suis, a littore nempe Oceani germanici, cui olim imminebant, longius in meridiem uersus rhenum processerant, et in Saxonie inferiore, quam hodie uocamus, stabilem fortunarum sedem fixerant. atque ita ad Franconiam appropinquauerant, siquidem forsan adhuc mediae uel interiectae inter Saxones, et Francos nationes, horum, utpote potentiorum et sociorum, imperio continebantur. \*\*\*\* Quae cum ita se habeant, saltem illud ex Hieronymi uerbis liquet perspicue, Franconiam iam tum Franciam nominatam, et propriam Francorum gentis sedem fuisse.

B 3

V.

ZOSIMVS L. III. c. I. tres nationes germanicas, frances, alemannos et saxones, nominat, quae iunctis viribus subditas romanis provincias in uestigioribus suis deuastauerant, et, imperante Constantio, iam quadraginta ad rhenum urbes ceperant.

\* Epistola LI. Tom. I. Oper. fol. 159. edit. Francofurt. add. Erasmi Roterd. Scholia ibid. paulo post Hieronymus francam quoque linguam pro germanica laudat.

\*\*\* German. med. diss. I. §. 15.

\*\*\*\* Saxones primos nominavit PTOLEMAEVS geograph. L. VII. c. XI. Sequentes scriptores collocauit illos ad Oceanum, ita PAVLVS OROSIVS, qui Seculo V in eunte, suam aduersus paganos historiam Augustino dedicauit L. VII. c. XIX. scribit. *Valentinianus saxonum gentem in oceani littoribus et paludibus iniuitit stam; virtute atque agilitate terribilem, periculosa Romanis finibus, eruptionem magna mole meditantem in ipsis francorum finibus opprescit.* SIDONIVS APOLLINARIS L. VIII. ep. VI. Saxones archipiratas vocat, quos exerceant naufragia non terrent, quibus cum discriminibus pelagi non notitia sed familiaritas, idem epist. IX. affuetos solo et coeruleos dixit. add. AMMIANI MARCELLINI Hist. L. XXVIII. c. V. L. XXVII. c. VIII. de posterioribus Saxonum sedibus differit pluribus HENR. MEIBOMIVS in introductione ad historiam Saxoniae inferioris p. 8.

## V.

Hieronymi locum nova ZOSIMI historia egregie illustrat et confirmat. Libro enim tertio, ubi res a Iuliano, circa quarti seculi medium, in gallia et germania gestas describit, uaria simul de statu nationum germanicarum et earum sedibus immiscet. series gestorum breuiter sic se habet. Iulianus propter urbem

urbem Argentoratum insignem a germanis, gallias  
prouincias romanis infestantibus, victoram reporta-  
uerat, sexaginta millibus hominum in ipso praelio  
deletis, et aliis tortidem in rhenum praecipitatis atque  
in flumine extinctis. (Lit. III. c. III.) Hoc defunctus la-  
bore, ad inferendum uniuersae germar orum nationi  
bellum se parabat. Transmiso rheno, cenuo acerrima  
pugna facta, cum innumerablem barbarorum in  
eo multitudine cecidisset, fugientes ad saltus usque  
Hercynios persequitur. Hi autem in extreimum di-  
scrimen adducti, iamque de liberis et uxoribus suis  
soliciti, ne forte Caesar ad illa loca progressus, qui  
bus ipsi degebant, totamque gentem funditus exter-  
minaret, legatos de pace tractaturos mittunt, firmata  
pace, aliquamdiu germani ab incursionibus defstant.  
(cap. IV.) Verum saxones, omnium eas regiones in-  
colentium barbarorum, et animis, et corporum uiri-  
bus, et laborum in praeliis, tolerantia, fortissimi habiti,  
Quados, (μούριον οφάντας) nationis suae partem, in  
solum ab romanis occupatum emittunt. Hos finitimi  
franci transi transitu prohibebant, (οἱ δὲ ὄντες Ορδυνοι, οὐκέτι  
ἄνθρωποι, μηλούρειοι) ne iustum Caesari causam pre-  
berent se rursus inuadendi. Saxones igitur naues  
construunt, rhenoque praeteruecti a frances occupa-  
tam regionem, (διὰ τοῦ Φίνου τὴν ὑπὸ Φράγμον εχουσίην  
ἀπεβαλλουσαί γεννήσαν) perueniunt ad Bataviam insulam, di-  
uiso rheno factam, quavis fluminea maiorem, indeque  
saliorum nationem, Francorum a parte profectam, et  
ui saxonum in hanc insulam suis e sedibus reiectam,  
expellunt. Haec insula, romanis anteā parens, a sa-  
xiis hoc tempore possidebatur. Inde salii ad Caesa-  
rem confugerunt, partimque legionibus romanis ad-  
scripti

xviA

scripti sunt. (cap. VI. VIII.) Ex his varia memorata digna, quae ad praesens argumentum dilucidandum utilia sunt, discere licet. Julianus Argeatorato ueniens peruererat ad syluam Hercyniam, cuius olim pars erant Franconica ad Aschaffenburgum et Thuringica. Quasta enim erat, cuius similem in romano orbe nullibi extare SVIDAS v. *χρῆμα* fatetur) saxones, minime territi uictoriis romanorum, exercitum in solum a romanis occupatum mittere decreuerunt. Adsciscunt nationis suae partem Quados, qui tum Boemiae et fileiae regiones tenebant. (frustra enim CLVVERIUS germ. ant. III. 21 *κατάχων*, Weserae accolas, substituit, siquidem *κίναδοι* in eadem narratione saepe a Zosimo nominantur) Franci vicini <sup>co</sup>\* resistunt, et saxones rheno in Batauiam tendere coguntur, ubi in francorum coloniam saliam impetum faciunt. sequitur ex his, Francos, qui saxonibus versus Moguntiacum aut Wormsgauiam tendentibus obnuntuntur, seculo quarto christiano, in Franconia fuisse commoratos. Praeterea saxonum natio iam tum late a Wesara ad Albim, et ultra hunc, ad Quados et Boemos, diffundebatur. Denique salii, Batauiæ coloni, cum francis ceteris, pacem cum romanis colebant, ideoque a Saxonibus pro hostibus habiti, sedibus Batauicis ejiciebantur.

<sup>co</sup>\* AMMIANVS quoque MARCELLINVS franco saxonibus confines dixit Lib. XXVII. cap. VIII.

## VI.

Superioribus testimoniis adiungenda sunt ea, quae GREGORIVS TVRONENSIS, scriptor historiae Francorum praecepuis, ex ueteri historico Sulpicio Alex-

Alexandro Lib. II. cap. IX. excerptis. summa narrationis haec est. Francos seculo christiano quarto Genobaldo , Marcomere et Sunone ducibus, exiisse ex locis a rheno in orientem remotis, rhenoque transmisso , prouincias romanorum, sigillatim Agrippinam coloniam adortos, maximam in romano solo praedam fecisse. Tantam autem fuisse eorum multitudinem, ut militum manum haud exiguum, ad repetendam depopulationem paratam, in romanis prouinciis reliquerint. Cum his congressi romani multos ad carboniarium \* peremerant eoque facto , consultabant, utrum in *Franciam* pergendum esset. Francia haec ita sita erat, ut per moguntiacum proximus ad eam pateret accessus, qui tamen syluis densissimis difficilis reddebatur. ultra sylvas paludosae regiones, in quibus maxima romani exercitus pars extincta est. Arbogastes igitur commonet Caesarem Maximum, poenas debitas a Francis exigendas , nisi uniuersa, quae superiore anno ( a. Chr. 385 ) caesis legionibus diripuerant, confessum restituerent, auctoresque belli traderent collecto exercitu, trangressus rhenum , Bructeros ripae proximos, (hodie clivenses) pagum Aetiam, quem chamaui ( monasteries , ubi hodie est Hamm ad Lippiam, comitatus marcae oppidum, iudice LEIBNITIO de orig. Francor. §.30.) incolunt, depopulatus est, nemine qui resisteret obuio , nisi quod pauci ex Ampsiuariis et Cattis, Marcomere duce, in ulterioribus collium iugis apparuere. Addit his Gregorius, quod multi tradant, francos de Pannonicō fuisse digressos , et primum quidem littora rheni (moenī rectius iudice Valesio) annis incoluisse, debinc transacto rheno (moeno) thoringiam transmeasse, ibique iux-

C

ta

ta pagos uel ciuitates reges crinitos super se creauisse, de nobiliore suorum familia. Ferunt etiam tunc Chlogionem, nobilissimum in gente sua, francorum regem fuisse, qui apud Dispargum castrum habitabat, quod est in termino Thoringorum: de huius stirpe quidam Meroueum regem fuisse assertur, cuius fuit filius Childericus. Mortuo Childerico regnauit Chlodoveus filius. Francia ergo haud procul distabat Moguntiaco, syluosa erat, vicina Cattis et Thuringis, quae omnia Franco-niae hodiernae apprime conuenient. Tametsi enim pro Thuringia, Tongriam nonnulli substituant, tamen RVINARTVS, diligentissimus operum Gregorii editor, testatur, in omnibus codicibus manuscriptis, quos euolvit, Thoringiam nominari. Idem luculentius ex alio Gregorii loco L. III. c. VII. colligitur, postquam nempe dixerat, apud Thoringos tres fratres regnum tenuisse, Badericum, Hermenfridum et Bertharium, et Hermenfridum fidem Theodorico datam sefellisse, subiicit, hunc, conuocatis francis, bellum in Thoringos mouisse, Thoringi terga uertere coacti, ad onestrudem fluvium usque perueniunt, ubi tanta ex illis caedes facta est, ut alueus fluminis congerie cadauerum repleretur, et Franci tanquam per pontem aliquem super ea in littus ulterius transirent. Dispargum uero, cuius meminit Gregorius, non esse Duisburgum Cliviae aut Zutphaniae, sed uel, ex sententia Broweri, Ditesburgum Buchoniae, uel, I. W. Ditmaro iudice, Dispurgum Hennebergiae, admodum probabile uidetur, siquidem uteisque locus in confinio Thuringiae et Franconiae hodienum occurrit. \*\*

\* Carboniam syluam, partem Arduennae, in Hannoniae et Brabantiae confiniis sitam esse, ex annalibus metensibus ad

ad a. 687. et 690. colligunt VALESIVS in notit. galliar. p. 126. et celeberrimus B. G. STRVVIVS Corporis Histor. germaniae p. 91. ad n. 68.

• conf. Eccardi notae ad Leg. sal. p. 5.

## VII.

**P**ostquam igitur modo prolati argumentis demonstratum est, Francos, tertio quartoque aerae christiane seculo, Franconiam inhabitasse, inde iam spon-te consequitur, ibi quoque natale solum legis salicæ querendum esse, nam uel circa idem tempus, quo Franci uictoribus contra romanos arniis decertabant, imperioque sui fines, fortitudine et prudentia, \* amplificabant, atque adeo ciuitatem potentiorem consti-tuebant, uel paullo saltem post, rebus ex uoto gestis et confessis, eos leges aliquas, gubernandæ reipubli-cae ampliori utiles, tulisse credibile est. Quod si nunc ostendere possim ulterius, etiam pagos illos, quorum in principio legis Salicæ fit mentio, et quorum proceres legum ferendarum causa congregabantur, in Franconia sitos fuisse, nihil amplius a me desiderari posse existimo. Prologi legis Salicæ uerba haec sunt: \*\* *Gens Francorum, inclyra, auctore Deo condita, fortis in armis, firma pacis foedere, profunda in consilio, corpore nobilis et incolumis, candore et forma ege-gia, audax, uelox et aspera, nuper ad catholicam fidem conuersa, dum adhuc teneretur barbarie, inspirante Deo, inquirens scientiae clauem, iuxta morem suorum, qualita-tum desiderans iustitiam, custodiens pietatem, dictauerunt legem Salicam, proceres ipsius gentis, qui tunc temporis apud eandem erant rectores. Sunt electi de pluribus viri quatuor, bis nominibus, Wifogast, Bodogast (al. Arogast)*

C 2

*Salogast*

*Salogast et Windogast, in locis quibus nomen Salagheue, Bodogheue (Arogheue) et Windogheue, qui per tres mallos conuenientes, omnes caussarum origines solicite discurrendo, tractantes de singulis, iudicium decreuerunt hoc modo. At ubi, fauente Deo, Clodoueus comatus et pulcher, et inclytus rex francorum primus, recepit catholicum baptismum, quicquid minus in pacio habebatur idoneum, per praecelsos reges Clodouum et Obildebertum et Hlotarium fait lucidius emendatum et procuratum decretum hoc.* — *Haec enim est gens, quae, fortis dum esset et robore ualida, romanorum iugum durissimum de suis eruicibus excusset pugnando. etc.*

\* Francicorum enim armorum progressus, praeter gentis fortitudinem, etiam singularis erga dearios indulgentia promovit. GREGOR. TVRONENS. L. II. c. XXIII. Terror, ait, Francorum resonauit in bis partibus, et omnes eos amore desiderabili capinerunt regnare. et cap. XXXVI. multi tunc ex gallis babere franco dominus summo desiderio cupiebant.

\* De prologi huic auctoritate frustra dubitat IO. IAC. CHIFLETIVS in luminibus Salicis. p. 222. cui uidetur idem a recentiore manu additus, Verum cum in omnibus, qui extant, codicibus prooemium illud, ersi non nihil hinc inde interpolatum, obvium sit, vel hoc uno indicio dubitatio Chiffletii tollitur. praeſertim cum prologus ille medii aei scriptorum luculentio testimonio satis adſtruitur et explicetur. Hue pertinent verba SIGEBERTI GEMBLACENSIS (circa initium ſeculi XII) in chronographia ad annum domini 422. Tom. I. Piftorii p. 493. Franci uti cooperunt legibus et legem ſalicam dictauerunt, per quatuor gentis ſuae proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus. Uſogast, Eſogast, Salagast, Windigast, in uillis germaniae ſilechaim,

chaim, Bodochaim, Windohaim: hi quatuor proceres, per tres mallos, caussarum origines conuenientes sollicitate tractantes, de singulis discentiendo sicuti lex salica declarat, iudicare decreuerant. ADONIS Viennensis verba §. 9. laudauit.

## VIII.

Hanc quidem praefationem non eodem modo reserunt codices manu exarati. breuiorem habet exemplar FRANCISCI PITHOEI: \* interim in omnibus tum proceres, tum etiam pagi eorum, nominibus utrisque describentium errore nonnihil mutatis, memorantur. BASILIUS IOANNES HEROLDVS, cui primam legis salicæ publicationem acceptam ferimus, in codicibus Fuldenis pro Bodogasto *Arogastum* legit, quam lectionem ADONIS Viennensis breuiarium chronicorum, eo loco, quem in scholio paragraphi sequentis proferam, nec non SIGEBERTI modo allegata uerba confirmant.

\* uid. ECCARDI editio L. Sal. p. 143

## IX.

Pagus praecepsus, primoque loco positus, *Salagbeua*, unde Franci *Salii* nomen suum traxerunt, \* a Sala Franconiae cognominatur. De eo nos dubitare hodie non sinunt documenta plurima, quae ex Fuldenensi archivio in lucem protulit, tomoque tertio scriptorum rerum germanicarum inseruit IOANNES PISTORIVS. Repetam tantum pauca eaque clarissima. Traditione X. p. 490. *Vuldarniu in eleemosynam tradit ad S. Bonifacium* (cui Fuldense templum et monasterium sacrum est) *quicquid proprietatis habet in pago*

C 3

go

go Salagae, in villa, Ostheim et in villa quae vocatur Muni-  
richstadt. Traditione XVII, p. 493. Hunger donar et tra-  
dit ad S. Bonifacium quicquid in pago Salageue et in villa  
Kizziche habet. Sed hodienum oppida Ostheim, Mu-  
nerstadt, Kissing, iisdem quibus olim nominibus ue-  
niunt. In traditione LX, p. 507. ad pagum Salageue  
refertur marca et immunitas Hamalunburg; traditione  
LXVII, eidem assignatur Scunra (hodie Schunder in  
ditione Fuldenfi), et traditione LXXXI iterum Chizzi-  
cha sita dicitur in pago Salagewa ad ripam fluminis Sala-  
factae autem sunt hae donationes Caroli M et Ludo-  
vicii pii aeuo. Accedit, quod idem Sala fluuius aeuo  
Augusti notus fuerit, ultra quem ea aetate ro-  
manii in germaniam penetrare non potuerunt.  
Hunc STRABO talibus uerbis designat, \*\* Epि  
ταυτὸν δὲ τῷ Αμαρίᾳ Φέρουσαν, Βίτουηγις τε καὶ λοιπαὶ  
ποταμοὶ, διέχων Ἄννου ἐξακοσίους σαδίους, βάων διὰ Βουκτέρων  
τῶν ἐλαττόνων. ἐτί δὲ καὶ Σάλας ποταμοῖς, οὐ μεταξύ καὶ τοῦ Ἄν-  
νου πολεύοντι κατορθῶν, Δέρνος ἐγενέτοτεν ἐγερμανός.  
In eandem cum Amisia partem feruntur Visurgis et Lupias,  
qui per Bucteros minores fluit, a rhenio distans circiter DC  
stadis. Est et Sala fluuius, inter quem et rhenum bellum  
felici successu gerens obiit Drusus Germanicus. Quis  
non agnoscet hic Salam franconiae occidentalem, ma-  
ximum, qui ultra moenum arhenio occurrit, fluuium,  
nam ad salam orientalem, qui in Thuringiam uoluit,  
Drusum peruenisse, nullo nobis indicio constat.  
Ceterum etiam illud Salae Franconici praerogatiuam  
prodit, quod iuxta eum palatia Koenigshofa et Salz-  
burgum hodienum \*\*\* deprehendantur, ubi  
olim Francorum reges et principes sedem habue-  
runt.

\* Le.

\* Lepida enim est saliorum nominis deriuatio, quam FRANC. PITHOEVS in glossario L. Salicae p. 681 Tom. II. capitulo regum Francorum ed. Steph. Baluzii, a *salire* latinorum accessit, frusta hunc in finem Sidonii uerba laudat;

*Tibi aincitur illie  
Cursu Herulus, Chonus iaculis, Francusque natatu,  
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonas.*

nam quod poetae licuit originis Saliorum ignaro, id non imitari debet historicus male etiam velocitas, quam francis prologus L. salicae tribuit, hoc trahitur, interim confemit cum Pitheo NICOL. Vignierius de origine ueterum francor. p. 145. laudatus a STRVPIO corporis histor. german. p. 92. ad num. 74. Illud uero meo iudicio recte se habet, quod IOACH. VADIANVS Lib. III. de collegiis monasteriisque germaniae p. 61. ex edit/ Goldasti Tom. III. rer. almannicar. statuit, *Salius francorum praeceps* fuisse, siquidem huic ipsa prae-  
fatio L. salicae suffragatur.

\*\* Geogr. Lib. VII. p. 201. De expeditione Germanici ad ad Amisiam et Luppiam confona iis, quae Strabo narrat, TACITVS Annal. L. I. cap. 60. memoriae prodidit. Bructeros sui urenteis, expedita cum manu L. Stertinius, missu Germanici sudit. interque caudem et praedam repe-  
rit undenicesimae legioris aquilam cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultima Bructerorum: quantumque Amisiam et Luppiam annes inter, uastatum, haud procul Teutoburgenſi saltu, in quo reliquiae Vari legio-  
numque insepulta dicebantur.

\*\*\* Salzburgum antiquum principum Francorum palatium est. describitur enim a poeta Saxone in vita Caroli M. ad a. 790.

Eff

*Est aggressus (Carolus) moenum nauale per amnum,  
Ascenditque per hunc, donec prope moenia uenit  
Magna palatinae sedis SALT nomine dicta,  
Nascenti uicina salae. Nam fluminis buius  
Riuus adduc modicus, baec ipsa palatia cingit.*

consentient annales Laurisheimenses ad annum 790.  
PAVLVS MATTH. WEHNERVS in obseruationibus  
practicis confidenter afferit, hoc ipso in loco olim le-  
gem salicam latam fuisse, sub uoce *Ganerben*, cap. 2. p.  
151. exemplum inquit arcium, quas uocant *Generbenhäuser*,  
est in arce Salzburgo ad salam in Franconia orientali, ubi  
etiam imperatoris Conradi, qui cognomen salici inde ade-  
ptus est, regia olim, et lex salica lata est, a Waremundo  
eiisque confiliariis quatuor, qui in ipsa lege nominantur.  
Nititur procul dubio Wehnerus auctoritate GOLDA-  
STI, (etli eum non nominauerit) qui Tom. III. consti-  
tutionum imperialium legibus salicis nouum et haec tenus  
ignotum exordium tale praefixit: *Faremundi primi*  
*Franconiae regis leges salicae, in comitiis quandam Sal-*  
*zensibus, per Francos et eorum proceres decretae, et per*  
*regem postea cum iisdem Francis et toto coetu populi san-*  
*citiae et confirmatae Anno Dn. 424. sed pro stabilienda*  
*hac opinione veterum uel historicorum uel codicium*  
*fides et auctoritas adhuc desideratur. Evidem in ADO-*  
*NIS Viennensis breuiario chronicorum ad a. Chr. 364.*  
*Iego. Franci egressi e siccambria peruenierunt in extremas*  
*partes rheni fluminis, in germanorum oppida, ibique ali-*  
*quot annos cum principibus suis Marcomiro et Sunone re-*  
*siderunt. Ubi primum regem Pharamundum sibi postmo-*  
*dum statuunt legibusque se subdunt, quas priores eorum*  
*Windogastus, Wisogastus, Abrogastus, Salegastus inuenie-*  
*runt. Verum haec minime patrocinantur Goldasto: si*  
quidem Ado, diu ante Pharamundum leges illas inuen-  
tas esse, fatetur.

X.

## X.

**A**ler pagus Francorum *Arogeua* comprehendit tractum ad Werram, cuius fons haud procul ab Eichsfelda Hennebergiae oppido distat. Werra enim hoc nomen retinet, donec prope Mundam, tertio a Casellis lapide, post receptum Fuldam, Wesera uocatur. siue *Aroguea* denotat Hennebergiam, quam Werra perfuit, hoc est, septentrionalem Franconiae regionem. sed nec difficile est, etiam *Bodogeuam* siue *Bodeheimium* in Franconia monstrare, siquidem hodiernum illius pagi memoriam seruat Bodensteinum, urbs episcopatus Bambergensis, quam Budlach (forsan olim *Bodach*) alluit.

## XL

**W**isogeu<sup>a</sup>\* est Franconiae pars orientalis, circa fluuium non ignobilem Wisenam uel Wisentam, qui uaria episcopatus Bambergensis ducatusque Culmbacensis loca praeterlabitur, et haud procul Forchheim in Rednicum influit. \*\*\* Ibidem superest Frankenhausen, altero a Barutho lapide, ueteris francorum sedis monumentum. *Windogeuia* vero partem franconiae meridionalem designat, Winshemio vicinam, ubi hodie ducatus onoldinus occurrit. Neque hic omnino sfernenda est uetus Winshemensium traditio, qui suae urbis fundatorem Windogastum celebrant. \*\*\* Nam tametsi hoc idoneis testimoniis confirmare non possint, quandoque tamen communis et constans in rebus perantiquis fama ueritatem aliquam occultat. praeterea magna est utriusque nominis similitudo, et in praefatione legis salicæ pro *Windogeuia*, in multis codicibus Windham et Windoheim scriptum fuisse FRANCISCVS PITHOEVS auctor est.

D

Hic

\* Hic pagus in plerisque antiquis codicibus, procul dubio  
librarii negligentia, omisitus est. v. ECCARD. p. 5. et 6.

\*\* Adiacet Wiesenae *Weissenfelda* oppidum. si pro feld campo  
golbam pagum cognominem substituas, habes Wifogeam.

\*\*\* Vid. STRVII corp. hist. germ. Per. III. §. 16. p. 96.  
ubi, postquam haec meditata iam digessera, etiam ex-  
imium illum uirum in hanc coniecturam incidisse reperio,  
quod Windogastus, forsan Windesheimii ueteris guber-  
nator fuerit.

## XII.

**D**ixi iam, nomina locorum hodie adhuc usitata,  
subinde veterum originum uestigia significare.  
Enascitur inde mihi alia, pro monstrando legis salicae so-  
lo natali, ratio. Ipsa sane Franconia non aliunde appella-  
tionem habuit, quam a *Francis*, florentissimo olim  
germaniae populo, qui coloniis armisque suis longius  
in occidentem solem prospero successu prolatis, am-  
plissimum tandem galliae, uel franciae occidentalis  
regnum condidit, et Caroli M. et successorum eius ae-  
vo uniuersae europae formidabilis fuit. Antiquitatem  
nominis uel exinde satis cognoscere licet, quia, quando  
et quo auctore cooperit, ignoratur. sine dubio  
rum idem exortum est, cum incolarum huius regio-  
nis virtus et fortuna inclaresceret, et, ut cum francis  
praincipia quoque eorum sedes, ubi primum rem publica-  
cam legibus constituerunt, ab omnibus celebraretur,  
efficeret, quod etiam ex supra laudato Hieronymi te-  
stimonio liquet. Postquam uero franci galliam sub-  
potestatem suam redegerant, regesque sibi ibidem  
elegerant, scriptores medii aeui franciam orientalem  
et occidentalem solicite distinguunt, \* Sed nec pre-  
termittenda est mentio *Francofurti* siue castris, quod,  
tu-

tuendi francorum ad Moenum trajectus causa, factum,  
inter uetusissima francorum palatia merito refertur.\*\*

\* Francorum orientalium et franciae orientalis appellatione  
frequenter utuntur historici germaniae mediae, in an-  
nibus Metensibus ad ann. 687. Pipinus filius Ansegis-  
sili, nobilissimi quondam francorum principis, princi-  
patum orientalium francorum suscepisse dicitur. WIP-  
PO, seculi undecimi scriptor, in vita Conradi II sive sa-  
laci p. 425. Tom. III. scriptor. rer. german. Io. Pistorii,  
describens conuentum primatum germanorum, saxones  
cum adiacentibus slavis, *Francos orientales*, Noricos et  
Alemannos conuenisse perhibet, et paulo post de Con-  
radi familia edifferens, Chunones duos, ambos in *Fran-  
cia Tenuonica* nobilissimos compellat, raseo alias.

\*\* Vid. IO. MABILLONII de re diplomat. Lib. IV. §. 60.

### XIII.

**E**xplicata de natali legis Salicae sententia, quam  
ueriorem et fide dignis historiarum documentis  
consentaneam esse arbitror, breuiter tantum aliorum  
placita attingam. Olim plurimi eruditorum *Salios fran-*  
*cos a Sala Thuringiae nomen adeptos crediderunt.*  
Nituntur illi uerbis Gregorii Turonensis, supra in  
medium adductis; *tradunt multi francos de Pannonia*  
*fuisse digressos, et primum quidem littora rheni amnis in-*  
*coluisse, deince transacto rheno Thoringiam transmeasse.*  
nam si Thoringia proprie dicta hic intelligatur, fran-  
ci quoque ad celebrem in Thuringiae fluum Sal-  
lam, qui francoicum longitudine et magnitudine  
uincit, confeditse, probabile est. Deinde uestigia  
Francorum in Thuringia obvia monstrantur. quae in-  
ter praecellit Francohusa, urbs salinis celebris, ubi  
in colle uicino adhuc uetus francorum turris cerni-  
tur,

tur, de qua peculiare IOANNIS HOFMANNI programma a. clocc VIII editum profat. Existimat ille frances hanc turrim vel speculam, defendendarum salinarum causa erexisse. Salinas Francohusanas pro iisdem habet, de quibus, TACITO Annal. L. XIII. cap. LVII. teste, fuit aliquando inter Cattos et Hermunduros contentio. Enimvero neutra obiectio magni momenti est. Gregorius loquitur de frances versus Thuringiam proficentibus, nihil habet de stabili sede francorum in Thuringia. illam enim iam satis clare nobis Franconia Teutonica ostendit. Praeterea cum Sala franconicus palatiis principum francorum nobilitatus sit, nec magnitudine multum thuringico cedat, non est, cur pagum Salicum alibi quam in franconia requiramus. Francorum autem uestigia in Thuringia nequaquam nobis aduersantur, siquidem frances in Thuringiam penetrasse, huiusque incolas superasse, et memorabili clade ad onestrudem affecisse, ex Gregorio Turonensi et aliis scriptoribus abunde compertum est.\* Obiter noto, uideri mihi ea, quae Tacitus de certamine Hermundurorum et Cattorum propter Salinas narrat, magis Halae quam Francohusae conuenire. nam meminit ibi Cornelius fluminis gignendo sale foecundi et contermini. quae descriptio salam potius, qui Halam alluit, quam rium exiguum ex salinarum Francohusanarum scaturigine profluentem designat.

\* WITICHINDVS in annalibus Lib. I. Tom. I. rer. german. H. Meibomii p. 631. scribit: *Thiadericus cum granui exercitu appropinquans termini Thuringorum, inuenit cum ualida quoque manu generum suum, se expectantem in loco qui dicitur Raneberg, et commiso certamine pugnatum est, aperiuit bello una die et secunda; tertia uero die*

*die natus Ermensis fides cessit Thaderico, et fugiens tandem  
se recepit cum reliquo comitatu in urbem, quae dicitur  
scibidgi, sita super fluminum, qui dicitur Unstrode. sus-  
fragatur ALMOINVS sec. XI. ineunte Lib. II. cap. IX.*

## XIV.

Porro opinionem vulgarem alia difficultas premit.  
Nullus, praeter salageuam, in Thuringia franco-  
rum pagus probabili aliqua ratione potest ostendi.  
*Wesera*, a Wesera frustra denominatur, quia fluens  
illud, dum Thuringiae limites praeterfluit, nomen  
Werrae seruat. *Bodogeuam*, qui ad Bodam, medio-  
crem Ducatus Halberstadenis fluvium, qui prope Kal-  
bani salae iungitur, referunt, illi saxoniam et franciam  
aperte confundunt, nec ullo scriptore idoneo com-  
probabitur, francorum teutonum prouincias eos-  
que fuisse extensas. Denique *Windogeua* plane nulli-  
bi in tractu Thuringiae vicino deprehenditur, quapro-  
pter ECCARDVS p. 6. ad L. Sal. ita hunc nodum, uti  
faepe alias, secat, non soluit, ut *Unfrutum* fluvium, ob tor-  
tuosas aluei ambages, olim *Windam* nominatum, dicat, et  
iuxta eundem Windogeuam sitam fuisse contendat.

## XV.

D e hypothesi GODEFREDI WENDELINI et IO-  
NACOBI CHIFLETII, qui Galliae Belgicae pri-  
mos legis salicæ natales vindicare annisi sunt, nihil  
addo, cum eandem iam iam solide confutauerit HER-  
MANNVS CONRINGIVS. \* Permiscent docti illi  
viri recentes francorum colonias, cum patria uel prin-  
cipali sede eorundem, nec pagos, unde proceres et  
legislatores francici congregati fuerunt, in gallia bel-  
gica commode possunt ostendere. Accedit, quod  
colo-

co o i e, peregrinas regiones inhabitanti, et de forma reipublicae nondum satis securae, uix aptum sit legum in perpetuum ferendarum institutum. Eadem rationes ualent contra PHILIPPVM CLVVERIVM, \*\* qui franco salios, Isalae Hollandiae accolas, pacti salici autores communisicitur. Etsi enim ex Zosimo, cuius testimonium §. V. laudaui, constare uideatur, salios insulam batavicam, rheni brachiis circum fluam, adeoque regionem haud procul ab Isala dissipatam (add. Ammiani locus §. II. laudatus.) incoluisse, tamen idem nos auctor docuit, salios illos tantum coloniam a franco reliquis, franconiam inhabitantibus, qui numero et uiribus salis multum praecellebant, emissam fuisse. Pari facilitate refellitur HADRIANVS IVNIVS, \*\*\* dum salandiam, a mari potius, quo cingitur, dictam, pro saliorum patria uenditat.

\* De origine iuris germanici cap. VII.

\*\* Germaniae antique Lib. III. cap. XX. p. 584.

\*\*\* Historiae Batavae cap. IX. p. 98.

## XVI.

**S**equitur, ut eorum argumenta ponderemus, qui salios et legem salicam, a Sala siue atrio, et campo uel loco publico, ubi germani de republica solebant consultare, \* deriuarunt. IOANNES AVENTINVS annalium Boiorum Lib. IV. c. I. §. 5. Tuisconum lingua, ait, Sala aulam basilicamque significat, unde lex Salica, praedia salica, clientes Salici, qui ad aulam spectant, dicit. Adbuc nobis in usu est oreque frequenti Saalbuch, b. e. Salicus codex, ubi praedia regia principalia, ecclesiastica, uectigalia, redditusque praediorum describuntur. CAROLVS DV FRESNE in glossario mediae et infimae latinitatis, sub uoce Sala, plura testimonia confessit,

gesit, quibus euincitur, Salam non palatum modo, sed etiam quamlibet domum theotica olim lingua significasse. Non displicet haec opinio peritissimis rerum germanicarum uiris IOANNI GRYPHI-ANDRO de Weichbildis saxonis cap. XL. §. 5. et HENRICO COCCEIO, in dissertatione de coniugio ad morganaticam sect. II. Hic sigillatim ex II. F. 29. notauit, quod consuetudinum feudalium collector *salicum* et *morganaticum* pro synonymis reputet, et quod adhuc uocabulum *Morgen iugerum* uel campi agriue mensuram designet. Verum, et si ea, quae de sala et loco comitorum publico traduntur, ita se habeant, tamen quod ab atrio ciusmodi lex Salica et franci Salii nomen accepit, omnino a uero alienum est. Nam cum consuetudo, iudicia et concilia loco publico et subdiuili celebrandi, communis toti germaniae, et aliis extra germaniam populis, fuerit, non apparet, quomodo inde unica lex Salica, aut gens quoque Salica franco-rum denominari potuerit. Quae uero sit *terra salica*, longe melius ex ipso legis fonte Tit. LXII. explicatur, ubi terra Salica dicitur, *de qua nulla portio hereditatis mulieri uenit, sed ad uirilem sexum tota terrae hereditas peruenit.* \*\*\* loquitur lex, uti inscriptio indicat, de alode, quae alibi *hereditas auiatica* uocatur, L. Ripuar. Tit. LVI. LVIII. siue de praedio libero, feudali nexu non obligato, (add. MARCVLPHI formula 66. et formula 164. *bene franci Salici homines uere liberi dicuntur.*) cuius hereditas more francorum tantum in successores masculos deuolutebatur. quemadmodum etiam aliarum gentium legibus idem successionis ius receptum fuit. \*\*\* Interim non repugno, si quis *salicum* uocabulum alias quoque significationes usu ac-

cepisse, et sigillatim bona principalia et fiscalia deno-  
tasse contendat.

\* Conuentus germanorum olim sub dio fuisse habitos, non  
solum colligitur ex TACITO, qui de mor. germ. cap.  
XI. omnes, ne plebe quidem excepta, de maioribus  
causis consultasse testatur, quod non nisi loco libero et  
hypaethro fieri potuit: sed idem quoque multi poste-  
riores scriptores memoriae prodiderunt. Iure feudali  
saxonum cap. 65. cauetur diserte, ne curia feudal is sub  
recto, vel infra burgum celebretur. plura alia loca attri-  
buta GRYPHIANDER de Weichbildis saxon. cap. 66.  
CHRISTOPH. LEHMANNVS Chron. spir. L. IV. c.  
XIX. testatur, spirae seculo adhuc XI iudicia in platea  
